

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4151

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1244, juillet

Lieu d'émission : Pont-de-l'Arche

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime une charte de Jourdain de Mesnil, chevalier, et sa femme Isabelle, par laquelle ils donnent aux moines de Notre-Dame de Bonport un moulin sis sur l'Eure à Landemare.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1168, p. 320.

b. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CXXIX et CXXXIII, p. 128-129 et p. 132.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, notum facimus quod nos litteras Jordani de Mesnillio Jordani, militis defuncti, et Ysabellis, relictæ ejusdem Jordani, vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, ego Jordanus de Menillo Jordani, miles, et ego Ysabellis, uxor dicti Jordani, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos dedisse et concessisse Deo et Beate Marie de Bonoportu et monachis ibidem Deo servientibus quoddam molendinum datum nobis in maritaggio, quod habebamus apud Landemare in aqua Ardure, in puram et perpetuam elemosinam, quiete et pacifice, sine contradictione vel reclamacione nostri vel heredum nostrorum, perpetuo possidendum, cum omnibus pertinentiis suis, et cum omni jure et dominio quod nos et heredes nostri in dicto molendino habebamus et habere poteramus, tam in sicca multa quam in alia multa, et omnibus aliis consuetudinibus ad dictum molendinum pertinentibus. Licebit etiam dictis monachis de dicto molendino et ejus pertinentiis, sine contradictione nostri vel heredum nostrorum, suam penitus facere voluntatem, et volumus et concedimus, quod, si dicti monachi super dicta donatione a nobis vel heredibus nostris in aliquo foro ecclesiastico seu seculari seu quocunque alio modo fuerint molestati sive inequitati (sic), quod ille, qui ipsos molestaverit sive super hoc inquietaverit, eisdem centum libras monete currentis solvere teneatur. Volumus etiam quod dicti monachi teneant et possideant dictum molendinum in ea consuetudine et saisina, tam in moltis, aquis, piscariis, quam aliis rebus, in qua dictum molendinum erat quando illud in manu nostra tenebamus, absque nostri de cetero vel heredum nostrorum reclamacione, et hec omnia supradicta tenemur nos et heredes nostri dictis monachis contra omnes garantizare, et, si necesse fuerit, alibi valore ad valorem excambiare, et etiam tenemur dictos monachos super dicta donatione et concessione immunes conservare pariter et indempnes et omnia dampna et depertita (sic), que occasione dicte donationis et concessionis sustinebunt eisdem, ad dictum ipsorum restituere, si de dicta garantizatione et excambiatione nos vel heredes nostri defecerimus quoquo modo. Has

vero conventiones pro nobis et heredibus nostris juravimus spontanea voluntate, tactis sacrosanctis euvangeliiis, nos fideliter observaturos, renunciantes, super hoc, pro nobis et heredibus nostris, sub fide prestiti sacramenti, omni juri canonico et CIVILI et omnibus litteris a sede apostolica impetratis sive impetrandis, et omnibus eciam exceptionibus que possent obici contra presens instrumentum. In hujus rei testimonium et munimen, presentibus litteris tam ego Jordanus quam ego Isabellis sigilla nostra dignum duximus apponenda. Actum anno Domini M° CC° quadragesimo tercio, mense novembris.

Nos autem predictam elemosinam, cum de feodo nostro moveat, volumus et concedimus, et, ad petitionem dicte Ysabellis, in hujus rei testimonium et munimen, presentibus litteris nostrum apponi fecimus sigillum. Actum apud Pontem Arche, anno Domini M° CC° quadragesimo quarto, mense julio.